



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Cap. IV. De substitutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

CAPUT IV.

De Substitutione.

Quest. 651. Quid & quotuplex sit substitutio.

1. **R** Esp. Ad primum: substitutio (cujus materiam ab utilitate & in scholis & curiis frequentia mirè deprædicatam vide apud Muller. *ad ff. de vulg. & pupill. subst. ib. 9. lit. n.*) largiùs sumpta, pro ut complectitur substitutiones, quæ etiam in codicillis; legatis, fideicommissis, donationis causâ mortis fieri possunt, definiri potest; quòd sit vocatio unius vel plurium loco alterius aut aliorum ad rem aliquam per ultimam voluntatem. ita ferè Covar. *in c. Raynuri. de testam. c. 16. §. 4. num. 1.* Molin. *tr. 2. d. 182. num. 1.* Dicitur primò: *vocatio*: quòd est quid latius quàm institutio, adeòque rationem generis subire potest respectu substitutionis institutioni, per quam, ut mox dicitur, etiam substitutioni præstius acceptæ conveniat; è contra verò institutio in legatis, fideicommissis codicillis locum non habeat, sed solum in hæreditate. juxta *L. eam. quàm c. de fideicom.* Dicitur secundò: *ad rem aliquam*; ut quoque in codicillis, legatis, locum habere indicetur. Substitutio præstius magisque propriè accepta; quòd sit subordinata institutioni secundi hæredis in defectum primi, seu primò instituti hæredis, dum nimirum is nollet, vel non posset adire hæreditatem. sumitur ex *L. 1. in pr. ff. de vulgar. subst.* Dicitur autem primò: *institutio*: cum substitutio non minùs sit institutio propriè talis, quàm prima institutio hæredis, vel etiam institutio simplex sine ulla substitutione facta. perque hoc ipsum differt, ut jam dictum, à substitutione generalius accepta. Dicitur secundò: *secundi hæredis*: quod vocabulum hic sumitur in tota latitudine, ita ut comprehendat omnium successivè vocatorum substitutiones, vocenturque omnes substitutiones secundæ seu secundi hæredis; que ut admodum omnes nuptiæ, etsi sint tertiæ vel posteriores, veniunt nomine secundarum nuptiarum; quia primas subsequuntur. Muller. *l. c. ib. 10. lit. y.* Wiestn. *h. t. num. 167.* Non tamen, ut Idem, omnes secundi instituti, seu secundo loco nominati hæredes; ut dum dicitur: Titius hæres est: Cajus hæres esto: dici possunt substituti; cum eo ipso non suppleant defectum prius scriptorum seu nominatorum.

2. Resp. Ad secundum: secundùm varios modos, quibus, variasque conditiones sub quibus, & causas, ob quas fit substitutio, variè à variis dividitur strictè seu præstius accepta substitutio. Et quidem communiùs dividi solet primò generaliter in directam & indirectam; directâ dein in vulgarem, pupillarem, exemplarem, reciprocam seu breviloquam, compendiosam seu militarem. de quarum nunc singulis in particulari.

Quest. 652. Quid sit substitutio directa, quid indirecta.

R Esp. Directa est ea, quæ fit verbis directis respicientibus immediatè factum testatoris, sive quâ quis immediatè ab ipso testatore absque ministerio alterius intermedia personæ, puta, primi in-

stituti hæreditatem consequitur; ut dum testator dicit: hæredem instituo Titium, qui si hæres non erit (nimirum quia non vult, vel quia non potest) hæres meus sit Cajus: vel hæredem substituo Cajum, Indirecta seu obliqua, quæ & fideicommissaria dicitur, est, quâ quis hæreditatem consequitur, non immediatè ab ipso testatore, sed mediante ministerio primi instituti, juxta tamen dispositionem testatoris, dum hic primum institutum gravat, rogando seu mandando, ejusque fideicommittendo, ut hæreditatem ex toto vel ex parte substituto à se relinquat seu restituat, dicendo v. g. Lucium hæredem instituo, voloque ut is hæreditatem relinquat sempronio. ita cum communi Abb. *inc. Raynurius. h. t. Jason. rubr. ff. de vulg. & pupill. subst. Pirh. h. t. num. 6.* Et de substitutione indirecta infra, ubi de fideicommissis. hic solum notandum, quòd differat à directâ in eo, quòd indirectè institutus detrahat quartam partem seu trebellianicam, de qua quoque infra; directè verò substitutus capiat totam hæreditatem sine diminutione. Pirh. *l. c. Reiffenst. h. t. n. 559.*

Quest. 653. Quid sit substitutio vulgaris, qualiter se extendat ad utrumque casum, nempe tam quando primus institutus non potest, quàm quando non vult adire hæreditatem.

1. **R** Esp. Ad primum: substitutio vulgaris est, quâ quis testandi capax quemvis hæreditatis vel legati capiendi capacem, cuius primo instituto in casus vulgares, impotentia & nullitatis subrogare potest. Covar. *de testam. c. 16. §. 4. n. 3.* Bart. *in l. 1. ff. de vulg. & pupill. n. 5.* Zoës. *ibidem. n. 1.* Pirh. *h. t. n. 61.*

2. Resp. Ad secundum: propter utrumque casum fieri potest, ut hæredem ex testamento habeat, & ne aliàs propter utrumque casum hæreditas caduca fiat & ad fiscum deveniat. juxta *L. unie. de caduc. toll.* in quo conveniunt omnes. potestque id fieri modo duplici; nimirum vel generalibus verbis utrumque casum comprehendendo, dum v. g. generaliter & absolute diceret: Titium hæredem instituo, qui si hæres non erit (qualiter ob utrumque casum potest esse non hæres) substituo Cajum. vel utrumque casum expressis & specificis verbis exprimendo, dicendo. v. g. Titium hæredem instituo, qui si hæres esse non vult, vel non potest, substituo Cajum. Quòd si verò unum casum tantùm exprimat dicendo: Titium hæredem instituo, qui si hæres esse noluerit, substituo ei Cajum: adhuc substitutionem se extendere ad utrumque casum, cum communissima tradunt. Covar. *l. c. Molin. l. c. d. 187. num. 2.* Gomez. *var. resol. c. 3. num. 10.* Grass. *de success. v. substitutio. q. 1. num. 7.* Perez. *ad cod. tit. de vulg. subst. num. 3.* de Lugo. *Tom. 2. d. 24. n. 144.* Wiestn. *h. t. num. 169.* Reiffenst. *num. 562.* Hunn. *Styck. Barry & alii, quos citat & sequitur Lauterb. ad ff. cit. tit. §. 12.* item Muller. *ibidem, citatis Alex. vol. 1. conf. 2. col. 5.* Arumæ, *ad Inst. d. 8. ib. §. Menoch.*

Menoch. de *presump.* l. 4. *presump.* l. 5. num. 2. & c. Arg. L. *gallus ff. de liber. & posth. l. fin. c. de posth. inst.* Fundamentum hujus sententiæ est, quod dispositionem testatoris in uno casu ad alium extendi ex verisimili conjectura de illius mente rectè desumatur Arg. L. *in testamento ff. de R. j. cum in ultimis voluntatibus potissimum mens & voluntas, quæ unicè in testamentariis dominatur, etiam conjecturata sit attendenda juxta L. in conditionibus ff. de condit. & demonst. verisimilis verò conjectura & rationabilis præsumptio rectè sumitur à paritate rationis; nimirum ne testator intestatus seu sine hærede decedat, & censeatur fecisse actum elusorium & nullum, quæ ratio in utroque casu, nimirum impotentia & noletatis æquè militat; non enim est ratio major, cur testator substitutione sua intendens habere hæredem testamentarium, velit substituto obvenire hæreditatem, si institutus non velit, quàm si non possit adire eam. Nihilominus contrarium, nimirum vulgarem substitutionem factam expressè ad unum casum non posse extendi ad alium, tenent, et si minus, ut videtur, probabiliter, tam si spectes rationem quàm copiam DD. Harpr. ad §. 1. *Inst. de vulg. & pupill. subst.* Duaren. ad ff. *eodem c. 9. Faschin. l. 4. controv. c. 61. Chifflet. tr. de success. c. 11. Mantic. de conject. ult. vol. l. 5. tit. 1. num. 3. & alii apud Muller. l. c. à quibus in contrarium allati textus allegari soliti intelligendi de casu, quo constat de contraria voluntate testatoris; nimirum alligantis illam ex speciali fortè & privata aliqua ratione uui ex prædictis casibus excludendo alterum. Objectiones verò ab iis in contrarium factas sufficienter dilutas vide apud Muller. l. c.**

Quest. 654. Quid significet in substitutione vulgari dicta conditio: si institutus hæres non erit.

Resp. dicta conditio, quæ complectitur utrumque casum, pro diversitate personarum institutarum diversimodè accipienda. nam primo in hæredibus suis quamvis non denotet & importet; si hæres abstinerit ab hæreditate, seu non immiscuerit se hæreditati; cum suis statim ipso jure sit hæres. Struy. ad ff. *de vulg. th. 15. Lit. a. Lauterb. §. 14.* significare tamen etiam potest: si re ipsa hæres non erit: dum nimirum decedit ante testatorem, vel dum à patre emancipatus repudiat hæreditatem; ac proinde simpliciter importat: si hæres non erit, intelligendo illis modis, quibus esse potest non hæres. Muller. ad Struy. l. c. *Lit. b.* Secundò in instituto hærede extraneo, quis sui juris est, importat seu significat: si ipse hæres non erit, nec alium statu mutato hæredem esse fecerit; si enim institutus liber factus fuerit servus, hæreditas acquiritur domino illius juxta §. *fin. Inst. de vulg. excluso substituto.* Tertiò; instituto extraneo, qui alieni juris est. V. g. filio familias, hunc habet sensum: si ipse hæres non erit, nec illi, in cuius potestate est, hæreditatem acquisiverit. *cit. §. fin.* siquidem si filio familias, quem scivisse esse sub patria potestate, substituit aliquem, filius familias adeundo hæreditatem, patrem suum, utpote per fictionem juris eandem secum personam, facit esse hæredem substituto interea excluso, & ignoraverit institutum à se esse filium familias, substitutum cum patre illius in partem hæreditatis admitti juxta *cit. §. fin. & Vinn. ibid. num. 3.* ait Lauterb. l. c. §. 13. ubi etiam, quòd filio instituto repudiante R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. III.*

hæreditatem contra voluntatem patris sui, hic adire nequeat hæreditatem excluso instituto, secundum Faschin. l. 4. *controv. c. 13.* & alios, contrarium, nimirum patrem præferri substituto, ex communiore opinione tenentibus Fusario Struy. Stryck.

Quest. 655. Quid sit effectus substitutionis vulgaris?

Resp. primarius effectus illius est, quod existente conditione, nimirum dum hæres suus abstinet ab hæreditate defuncti patris, aut etiam ante patrem testatorem moritur, aut jam emancipatus ei renunciat, vel etiam extraneus institutus eam morte præventus, vel lege prohibitus adire nequit, substitutus in re succedat in hæreditate, tantumque consequatur, quantum consecutus fuisset hæres primò institutus, cui substituitur; & sic per eum stet, ut testamentum & voluntas testatoris, quæ in instituto deficit sustineatur. Z. è. ad ff. *de vulg. num. 4. Schneidev. in l. 2. de vulg. subst. Pich. b. t. num. 61. Wiestn. num. 170.* cum communi Arg. L. *quamdiu ff. de acquir. & amit. hered. junctam l. 3. ff. de liber. & posth.* Ex bonis tamen propriis hæredis primò institui nihil consequitur, unde jam etiam oritur alter substitutionis effectus; nimirum, ut primò instituti hæres ei non succedant; cum hæreditatem ab instituto non aditam ad eus hæres transmitti leges non permittant. L. *unic. §. 5. c. de caduc. toll. nisi fortè institutus sit unus ex liberis testatoris; hic enim hæreditatem à se non aditam (non tamen positivè à se repudiatam) transmittit ad descendentes suos utriusque sexus, seu hi ab intestato ei succedunt beneficio L. unic. c. de his qui ante apert. tab. Gomes. tom. 2. var. c. 3. num. 14. Zoës. in ff. *de vulg. & pupill. inst. num. 4. Canis & c. & alii, quos citat & sequitur. Wiestn. b. t. num. 171.* Item substitutio impedit, quò minus cohæres, si forte talem adjunctum sibi habet institutus, eidem succedat in parte, in qua erat institutus, seu hæc pars ei accrescat; cum substitutio potior sit jure accrescendi, quòd aliàs est inter cohæres; quia substitutio est provisio alicujus in eum casum, quo institutus hæres non erit; jus verò accrescendi est provisio legis præsumentis testatorem, qui in casum deficientis instituti non providit sibi de substituto, voluisse unius ex cohæredibus portionem alteri accrescere, ne pro parte testatus, & pro parte intestatus decedat. Haunold. tom. 2. de *J. & J. tr. 7. num. 46. Wiestn. l. c. distinguit nihilominus hoc postremum de Lugo. tom. 2. de *J. & J. d. 24. num. 145.* dum ait attendendum in hoc casu ad verba testatoris, ita ut, si instituerit plures seu cohæres, feceritque substitutionem dicendo: instituo Petrum & Paulum, & si vel Petrus vel Paulus defecerat, seu hæres non erit, substituo Joannem: portio unius deficientis illorum non debeat accrescere alteri, sed illi in ea præferendus sit substitutus Joannes. Si verò dixerit: si neuter fuerit meus hæres, vel si illi non fuerint mei hæres, substituo Joannem: portio unius deficientis prius accrescat alteri eorum; eò quòd tunc videatur exegisse defectum utriusque, ut intraret substitutus. Cujus tamen etiam contrarium probabile esse, si substitutus esset causa pia, & favore illius hanc præferendam dicunt apud de Lugo Bald. & Molin. d. 183. §. 1.**

2. Tertius effectus substitutionis vulgaris est, quòd ex hærede suo & necessario faciat voluntarium;

rium; ita ut non tantum beneficio juris prætorii, sed jure civili communi & ex testatoris voluntate, in ejus potestate sit admittere vel repudiare; cum pater substituendo ipsi vulgariter, censeatur ei remississe necessitatem adeundi hereditatem. *l. 12. ff. de condit. inst. l. 16. §. 1. ff. de hered. inst.* Lauterb. *l. c. §. 14.* citatis Vinn. *selectar. qq. l. 2. q. 23. per tot.* Fular. *p. 1. q. 66. num. 1.* non definit tamen per hoc filius esse suus, sed patri manet jus suitatis; cum hujus juris essentialia non immutentur per adjectam institutioni talem conditionem & substitutionem. Struv. *ad ff. de vulg. th. 15. lit. β.* Muller. *ibid.* neque enim credendum est, quempiam elegisse tale genus testandi, per quod ejus filiique commodum tam graviter læderetur, qualiter læderetur per ademptionem juris suitatis (cujus effectus seu commoda 31. enumerat Vasq. *de success. creat. l. 2. §. 18. n. 15.*) Muller. *l. c.*

3. Quartus effectus est, quod non transeat hereditas ad monasterium, in quo primò institutus præfiteretur, si illud est capax hereditaria successione; cum neque à tali professo, neque à monasterio, testatore mortuo, adiri possit hereditas. Si vero monasterium successione capax est, illud præferri substituto, & hunc excludi; tum quia favore religionis sublata sint substitutionum onera. *novel. 123. c. 37.* tum quia eo ipso, quod quis proficitur in religione, omnia sua bona & jura, nisi prius aliter deus disposuerit, transferat in monasterium, adeoque & jus delatam sibi hereditatem adeundi, & ejus aditione excludendi substitutum, docent. Abb. *in c. de presentia. de prob. num. 36.* Zoës. *ad ff. de vulg. num. 25.* Haunold. *l. c. tr. 7. num. 40.* & alii, quos citat & sequitur Wiestn. *b. t. num. 172.* asserentes hanc sententiam receptam notissima praxi Germaniæ.

4. Quintus effectus; quod impediatur, ne ad fiscum devolvatur hereditas, dum institutus ante aditam hereditatem redderet se eam indignum; committendo delictum, propter quod eam habere non posset; tunc enim substitutus præfertur fisco. *L. unic. §. 13. c. de caduc. toll.* Auth. *hoc amplius. c. de fideicom.* enim propter culpam primò instituti fieri non debeat injuria substituto. Arg. *l. 8. §. 14. ff. de inoff. testam.* & ita docent Loriotus. *de apicib. jur. tit. de subst. axiom. 38. error. 9.* Duaren. *ad tit. de vulg. c. 10. vers. alia igitur.* & alii, quos citat & sequitur Muller. *ad ff. de vulg. th. 16.* item Lauterb. *§. 16.* contrarium tamen apud eundem tenentibus. Bart. *in l. 1. ff. de vulg. num. 26.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. d. 11. th. 7. lit. g.* Vasq. *de success. prerog. in prefat.* Plures effectus hujus substitutionis vide apud Ludvvel. *de ult. volunt. p. 2. c. 2.* aliosque passim ad *l. 1. ff. de vulg. & pupil. subst.*

Quest. 656. Qualiter expiret substitutio vulgaris.

1. **R**esp. expirat ea primò, quamprimum institutus extraneus ex testamento, vel etiam necessarius hæres adit hereditatem, utpote deficiente conditione, sub qua facta substitutio, est communis & certa juxta clarum textum. *L. post aditam c. de impub. & aliis subst.* Idque etiam dum unus ex pluribus collectivè institutis, quibus conjunctim quis substituitur adit hereditatem. Lauterb. *l. c. §. 16.*

2. Limitatur nihilominus responsio primò, ita ut si institutus post aditam hereditatem intra annum monitus à Judice voluntatem defuncti non implet, hereditas auferatur ab instituto, & applicetur sub-

stituto, si hic de implenda voluntate defuncti caveat. Barry. *de test. & intest. l. 3. tit. 7. num. 15.* Haun. *l. c. num. 22.* Wiestn. *num. 175.* & alii passim cum communi juxta expressum textum Auth. *hoc amplius c. de fideicom.*

3. Limitatur secundo in casu quo substitutione facta pupillo, is ante annos pubertatis, expirat, de quo melius statuetur post *quest. sequentem.*

Limitatur tertio, uti minor institutus post aditam hereditatem restitutionem in integrum impetrat; quia hereditas ei damnosa, rursus absteat ab hereditate, substitutio reviviscat & ad substitutum devolvatur hereditas. Lauterb. *l. c.* citans Vinn. *ad §. fin. Inst. de vulg. num. 2.* Struv. *ad ff. vulg. th. 17. lit. 2.* Muller. *ibidem.* citatis pro hoc Chiffler. *de success. subst. c. 13.* Costald. *in l. 7. §. 10. ff. de minor.* Expirat similiter substitutio, si hæres suus immiscet se hereditati, & sic evadit hæres cum effectu. Si verò hæres suus, antequam miscuerit se hereditati, decedat, adhuc substitutio expirat; quia ea transmittitur ad hæreses sui etiam extraneos, ut Lauterb. *l. c. §. 17.* substitutionis enim vulgaris hæc est natura, ut tunc demum locum habeat, si institutus non fuerit hæres; sed in casu quo decedit institutus hæres suus, virtute transmissionis, qua sua jura transmittit (pro ut liberi ratione sanguinis hereditatem ascendentium ad descendentes transmittunt) quamque transmissionem quia datio substituti vulgaris non impedit juxta *cit. L. unic. §. 5. c. de caduc. toll. jam alium hæredem fecit. L. unic. c. de his qui ante apert. tab. consequentio substitutio expirat.* ita Muller. *l. c. th. 17. Lit. d.* citatis Gomes. *var. resolut. tom. 2. c. 9. num. 50.* Fachin. *4. controu. 62.* Donnell. Ludvvel. & aliis.

4. Secundo expirat ratione substituti, si hic instituto in adeundo moram neccente decedat; ita etiam, ut licet institutus postea hereditatem repudiaverit, vel eam non adit, mortuus, & sic conditio purificata, nihil juris ad hæreses substitui transmittatur. *L. 9. in fin. ff. de suis & legit. l. 59. §. 5. ff. de hered. inst.* cum jus, quod nondum habuit, nisi solum in spe, defunctus, non possit deferri ad hæreses ejus. Ac ita tenent Pirh. *h. t. num. 61.* Reiffent. *num. 565.* citantes Molin. *tom. 2. d. 183. num. 2. & 8.* Zoës. *ad ff. l. c. num. 10. & 12.* Perez. *in cod. tit. de impub. subst. num. 6. & 7.* Haunol. *l. c. tr. 7. num. 21.* item Lauterb. *§. 17.* citatis. Durant. *de arte testand. tit. 5. cautel. 24.* Fular. *de subst. q. 164.* Unde jam etiam notat Lauterb. interesse substituti curare, ut instituto certum tempus præfiguratur; eo quòd illo elapso non declarata voluntate instituti substitutionis conditio jam purificata existat, uti & si institutus ante aditionem decedat, substitutus lapsus hujus temporis expectare non cogatur.

Quest. 657. Quid sit substitutio pupillaris, & quæ ad eam requirantur?

1. **R**esp. ad primum: substitutio pupillaris (sic dicta, quòd licet quibus ea sit, pupilli non sint pro tempore, quo ea sit, nimirum vivo patre, pro tempore tamen, quo ea sortitur effectum, nempe mortuo parente, quo liberi jam à potestate patris, sunt pupilli Lauterb. *l. c. §. 18.*) est substitutio directa & simplex, per quam pater liberos impuberes in sua potestate constituit, & qui post mortem suam in alterius potestatem non re incident, hæreses sibi instituit, illisque alium hæredem substituit in casum

seu sub conditione; si hæres erunt, & intra annos pubertatis decesserint. ita ferè Covar. in c. Raynuius. §. 1. h. t. num. 1. Molin. cit. d. 182. num. 10. Pirh. h. t. num. 62. Muller. ad ff. de vulg. th. 21. lit. β. &c. sumitur ex pr. Inst. de pupill. subst. §. l. 1. §. 2. ff. de vulg.

2. Resp. Ad secundum explicando datam definitionem ac ita plura ad eandem requisita. Dicitur itaque primò *directa*; quia fit directè ab ipso testatore absque ministerio intermedia persona, puta, ipsius pupilli; atque ita distinguitur à substitutione commissoria.

3. Dicitur secundò: *per quam pater*: ut indicetur causà efficiens proxima substitutionis hujus, quæ est voluntas patris; etsi enim à consuetudine & laudatissimis moribus introducta, à voluntate tamen patris, & nullius alterius immediatè procedere necesse habet; ita ut mater, licet vulgariter in casum deficientis à se instituti hæredis substituere possit (de qua substitutione loquitur. L. 33. ff. de vulg.) jure tamen communi substituere nequit pupillariter; quia liberos non habet in patria potestate. Durant. de arte testand. tit. 5. cautel. 30. Carpz. 7. F. p. 3. c. 8. d. 16. Lauterb. ad ff. de vulg. §. 23. Dixi tamen: *jure communi*: quia quandoque jure speciali quorundam locorum (ut de jure Wurtembergico. Lauterb. cit. §. 18.) mater & maternæ lineæ ascendentes liberos in bonis à se profectis, & in casum, quando ascendentes paternæ lineæ substitutionem non fecerunt, pupillariter substituere possunt. uti etiam in locis, ubi vi statutorum mater liberos in potestate habere creditur, ea pupillariter substituere potest (intellige in bonis à se profectis) cum cessante causà impedimenti ipsius, quibus impedimentum cessare dicatur. Muller. ad ff. de vulg. th. 23. lit. ε. De cætero in locis, in quibus jus commune obtinet, si mater liberos pupillariter substituerit, & adjecerit testamento clausulam codicillarem, valere illam substitutionem in vim fideicommissi, vel legati, vel donationis causà mortis, vel quocunque optimo valere potest; eò quòd nuda voluntate testatoris valeant fideicommissa, tradunt Lauterb. Muller. ll. cit. Carpz. p. 3. c. 8. d. 17. Nominè autem patris veniunt avus & proavus, modò habeant liberos in potestate. pr. inst. de vulg. subst. l. 2. §. 1. ff. eod. non venit pater naturalis respectu liberorum susceptorum ex concubina, utpote quos in potestate non habet. Lauterb. l. c. neque adoptatorum à se: secus est de adoptatis ab aliquo ascendente; hos enim, & non illos, pupillariter instituere potest, ut Lauterb. Arg. pr. Inst. de vulg. juncto §. 2. Inst. de adopt.

4. Dicitur tertio: *liberos*: per quod excluduntur extranei; quibus in hoc equiparantur liberi emancipati. Muller. ad ff. de vulg. th. 24. lit. y. Secus est in extraneo arrogato; huic enim paterfamilias arrogator substituere potest alium in bonis, quæ ab eo aut illius occasione ad arrogatum pervenerunt. L. 10. §. 6. ff. de vulgari. Muller. ad ff. eod. th. 28. lit. y. dicitur arrogatus, qui sui proprii juris est, quem paterfamilias accepit loco filii ad distinctionem adoptati seu adoptivi, qualis est, qui juris alieni est, quem quis assumit & suum facit. Nihil autem refert sive sint liberi primi sive secundi gradus, sive masculi sive fœminæ, etiam posthumi adhuc in ventre matris existentes. Lauterb. l. c. §. 26. Veniunt etiam liberi ex hæreditati; nam liberos substituere potest pater, sive eos instituerit, sive ex hæreditaverit. §. 4. Inst. l. 1. §. 2. l. 10. §. 5. ff. de vulg. Lauterb. §. 27. neque etiam per ex hæreda-
R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.

tionem jus sunitatis tollitur, ut idem cum Vinn. ad cit. §. 4. Inst. num. 4. Ut autem substitutio & ex hæredatio valeat, pupillus pubertati proximus & doli capax esse debet. Trentac. de subst. p. 2. c. 14. n. 6. Formula substitutionis sic tunc concipienda: Titius hæres meus esto, filius meus ex hæres esto; quia mihi violentas manus intulit; etsi intra pubertatem decesserit, Cajus hæres esto, nimirum in bonis, quæ ex hæredatus non ex beneficio patris, sed aliunde habet. Lauterb. l. c. bene addens, hinc patere, quòd hæc substitutio pupillaris facta filio ex hæredato improprie dicatur talis, devietque à natura pupillaris institutionis; si hæres erit. Non tamen substitutio hæc locum habet in filio præterito in testamento; cum tale testamentum sit nullum. Lauterb. l. c. citato Fufar. p. 1. q. 18. n. 11.

5. Dicitur quartò: *impuberes*, hoc est, masculi infra 14. fœminæ infra 12. annum ætatis: ita ut liberis puberibus pupillariter alium substituere nequeat, utpote qui, cum testamentum facere possint, ipsi sibi hæredem statuere possunt; quod quia non possunt impuberes, pater illis per substitutionem de hærede providere potest in casum mortis. Excipitur tamen miles juxta L. 2. §. 1. ff. de vulg. l. 28. ff. de testam. milit. qui etiam ultra pubertatem substituere potest, ita ut instituto post pubertatem decedente illi substitutus admittatur, saltem quòd ad bona, quæ institutus consecutus est à patre. L. 15. ff. de vulg. Gomez. L. 1. var. c. 7. n. 4. Wiestn. h. t. n. 178. Lauterb. l. c. §. 23.

6. Dicitur quintò: *in patris potestate constitutos*; nempe utroque tempore, tam conditi testamenti, quàm mortis patris. Muller. ad ff. de vulg. th. 24. lit. ε. citatis quamplurimis, quibus adherent Molin. d. 184. de Lugo. Tom. 2. d. 24. n. 147. Arg. L. cohæred. §. cum filio. ff. de vulg. ubi dicitur valida institutio, quæ avus nepoti substitueret pupillariter, licet tempore testamenti nepos non esset in ejus potestate, sed patris sui, si tempore mortis avi erat in ejus potestate, quòd cum requiritur ad actus alicujus constitutionem, id tempore actus & executionis adesse debet. L. 4. §. 1. ff. de hæred. inst. Et hæc; quia substitutio hæc est effectus patriæ potestatis, vi cuius in favorem liberorum impuberum, cum ipsi ob judicii imbecillitatem testamenti condendi ante pubertatem jus non habeant, hæres illis scribere vel nuncupare possit pater, ne prorsus intestati decedant. quin & vi cuius ita liberi conjunguntur patri, ut quasi una eademque persona, unum utriusque patrimonium & testamentum esse, ac proinde pater constituto in sua potestate substituendo alium eum quodammodo substituere videatur. unde & ut dictum, ex defectu hujus potestatis filio emancipato, utpote extraneo, substituere nequit hæredem. §. fin. Inst. l. 2. ff. de vulg. Carpz. 7. F. p. 3. c. 8. d. 10. num. 5. Lauterb. l. c. §. 23. Dicuntur autem & posthumi perfectionem jus sub patria potestate constituti. Muller. cit. th. 24. lit. y.

7. Dicitur sextò: *in alterius potestate non reincedant*. hinc avus, qui filium & ex eo nepotem habet in potestate, non potest nepoti substituere; quia nepos mortuo avo recidit in patris potestatem, qui ipsi testamentum facere potest. L. 2. pr. ff. de vulg. Lauterb. §. 26. & quia pupillariter substitui non potest illi, qui morte testatoris non est futurus pupillus, qualis morte avi vivo patre futurus non est nepos.

8. Dicitur septimò: *hæreses sibi instituit. & illis alium substituit*: ut indicetur ordo necessariorum in tali substitutione servandus, dum requiritur, ut
substi-

substituens prius pro se faciat testamentum (non enim soli filio facere potest testamentum juxta *L. 2. §. 1. ff. de vulg.*) adeoque prius in eo scribat heredem, cui substituere vult, nisi forte, ut dictum, sit miles. ita ut, si inverso ordine prius substituatur, & dein sibi heredem instituat, substitutio sit nulla juxta clarum textum. *cit. l. 2.* quod tamen procedere non nisi, quando diversis tabulis ex intervallo pater sibi & filio impuberi condidit testamentum; ita ut, si conjunctim eodem actu utrumque condidit, nihil referat, quo ordine id fiat, sive prius scribatur institutio heredis, sive substitutio juxta *L. 2. §. 5. & 6. ff. de vulg.* asserit cum Vinnio. *ad §. 5. Inst. eod. num. 1.* & Stru. *ad ff. eod. th. 26. lit. a.* Muller. *ibidem.* Quo ordine descriptionis non obstante, ordo successionis attenditur, secundum quem institutus precedit, licet posteriore loco sit scriptus. idem juxta *cit. l. 2.* Qualiter tamen etiam substitutus illam substitutionem in paterna hereditate omittit, & eam amplecti quod ad bona filii, eique soli succedere, vide apud Stru. *l. c. th. 28.* uti & dicenda *quest. seq. n. 1. in fine.* Atque ex his quoque patet, quod hæc substitutio contineat duplicem substitutionem, vulgarem scilicet & pupillarem. Lauterb. §. 28. uti &, quod duo quodammodo videantur testamenta, alterum patris sibi heredem scribentis, alterum filii, quasi ipse filius sibi heredem, quem pater substituit, instituisse. Stru. *ad ff. de vulg. th. 25. lit. v.* Muller. *ibidem.* Ex qua duplicitate quod ad effectum deducuntur plura, nimirum, quod pater alia hora sibi, alia filio adhibitis testibus condere possit testamentum. *L. 16. ff. de vulg.* Quod signari possit seorsim testamentum filii, quod alia forma sibi, alia filio facere possit testamentum, quod à principali testamento non arceatur, qui secundas tabulas arguit, cum qui accessorium improbat, non statim utrumque improbat, utpote principali non dependente ab accessorio. Quod, qui incapax est testamenti paterni, non sit incapax substitutionis pupillaris, seu ut substituatur instituto pupillo, nisi ratione bonorum paternorum, quatenus ex iis per substitutionem pupillarem ei esset quid obventurum, quæ singula textibus juris stabilita vi apud Muller. *l. c.* uti & qualiter his non obstantibus, testamentum illud sit etiam unicum ratione cause efficientis propter personam testatoris, vel etiam ratione formæ & solemnitatum (uti eo respectu pro uno testamento tam jure civili quam prætorio habetur. §. 2. *Inst. de vulg. l. 2. §. 4. ff. eod.*) dum unis tabulis fieri possit, una signatione absolvi, nec 14. testes requirantur, sed 7. sufficiant. Item ratione effectus & valoris; dum testamento pupillari licet alio tempore aliisque signatoribus ordinato, principale non rumpatur. *L. 16. §. 1. ff. de vulg.* Ac denique qualiter dicatur unum quo ad acquisitionem, dum substitutus non potest separare pupilli bona ab hereditate patris. item quod ad falcidiam, dum una saltem falcidia ex utriusque hereditate detrahatur; cum legata, quæ secundis tabulis relinquuntur, quasi primis tabulis sub conditione relicta intelligantur juxta *L. 11. §. 5. l. 80. §. 1. ad leg. falcid.*

Quest. 658. Quotuplex sit substitutio pupillaris.

Resp. Alia est expressa, alia tacita. Expressa est, dum conditio illa: si institutus filius meus hæres quidem erit, sed intra annos pubertatis decesserit, exprimitur dicendo v. g. Titium filium meum impuberem instituo, eique, si hæres non erit, vel si hæres erit, intra annos tamen pubertatis moria-

tur, Cajum substituo. Tacita est, quæ in expressa vulgari continetur, absque eo, quod dicta conditio exprimitur, sive est ipsa substitutio vulgaris facta filiofamilias impuberi, dum v. g. testator dicit: Titius filius meus impubes (vel etiam simpliciter: filius meus hæres esto) et si hæres non erit, substituo Cajum: quæ est vulgaris expressa; in hac enim contineri & illam conditionem: si hæres erit, sive si post aditam hereditatem intra annos pubertatis decesserit, ex conjecturata patris voluntate rectè inferitur; cum in utroque casu pariter diligendo substitutum, cui bene voluit, eum tam in casu, quo filius hæres non erit, quam in casu, quo quidem hæres erit, sed ante annos pubertatis morietur, voluisse substitui, & actu substitutum etiam expressè fuisse, si de secundo illo casu cogitasset, rectè credendum est; & ita Arg. *L. quamvis. c. de impub. subst. l. 4. ff. de vulg.* docent Covar. *de testam. c. 16. §. 4. num. 6.* Ludwel. *de ult. vol. p. 2. c. 2.* Stru. *in ff. de vulg. th. 22. lit. 2.* Muller. *ibidem.* Schneidev. *L. 2. tit. 15. de vulg.* Wiefn. *h. i. num. 184.* Lauterb. *l. c. §. 19.* Quod ipsum tamen sic limitatur: nisi de contraria voluntate testatoris constaret; tunc enim sub expressa vulgari non continebitur uterque casus. *cit. l. 4.* Donell. *L. 6. comment. c. 76.* Perez. *in cod. de vulg. num. 9.* Stru. *l. c.* Lauterb. §. 20. Wiefn. *h. i. num. 185.* Colligitur autem sufficienter hæc contraria voluntas ex adjunctione cohæredis extranei vel puberis, dum iis substitueret una oratione, si hæres erunt, dicendo v. g. instituo Titium filium meum & fratrem meum, et si filius meus & frater meus non erunt hæres, Cajus hæres esto: cum enim substitutio in eum casum facta iudicetur, quo utriusque substitui potuit, ad vitandam inæqualitatem, ne unus geminâ, alter unâ viâ ad hereditatem vocatus videatur, & utriusque pupillariter substitui non potuerit; eò quod unus illorum nec filius, nec impubes, aut sub patria potestate testatoris constitutus esset, utriusque tantum vulgariter substitutum præsumitur. *cit. c. quamvis.* Molin. *cu. d. 184. n. 15.* Perez. *l. c. num. 10.* Haunold. *de 7. & 7. Tom. 2. ir. 7. à num. 69.* Muller. *in ff. de vulg. th. 22. lit. 6.* Lauterb. *l. c.* Constat quoque de mente contraria testatoris, si in utrumque casum substitueret separatim, v. g. dicendo: heredem instituo filium meum, si hæres non erit, ei substituo Cajum: si hæres erit, & impubes decesserit, substituo Mævium. *L. 39. §. 1. ff. de vulg.* Wiefn. *l. c.* E contra quoque in substitutione pupillari expressè continetur vulgaris tacita; atque ita, dum pater Titio impuberi pupillariter nimitum, si hæres erit, & pubertate decesserit, substituit Cajum; substitutio hæc quoque complectitur casum, quo Titius hæres non erit; adeoque hoc casu Cajus succedit in omnia tam patris quam filii bona ex præsumpta patris voluntate. *L. 4. ff. de vulg.* Wiefn. *num. 183.* cum communi.

Quest. 659. Qui sint effectus substitutionis pupillaris.

I. Resp. Præcipui sunt sequentes. Primus est jus per eam quæsitum substitutio impleta conditione succedendi non tantum in bonis seu hereditate testatoris substituents, sed etiam in bonis filii, cui facta substitutio, undecunque ea, sive dum instituitur, habeat, sive post modum acquisiverit ante annos pubertatis, sive à patre, sive à matre, forore donatione, casu quo ante pubertatem moriatur, saltem ubi hæres existit, & hereditati se inveni-

immiscuit; adeoque non tantum ipso jure, sed etiam cum effectu hæres est, ut habet communis & certa per L. 10. §. 5. ff. de vulg. ex ea etiam ratione, quod pater substituens pupillariter pro impubere, non tantum pro se, sed & pro impubere jam fecit testamentum juxta pr. inst. de pupill. subst. quod & inde confirmatur, quod ne quidem taliter substitutus, etsi velit, separare non possit hereditatem filii ab hereditate patris; ita ut si non adeat hereditatem patris, sed eam repudiet, neque hereditatem impuberis institui habere possit; cum duæ istæ hereditates additione in unam coalescant; sed evanescat testamentum. L. 2. §. L. 10. §. 1. ff. de vulg. adeoque substitutus necessario debet habere hereditatem utriusque vel neutrius. Lauterb. l. c. §. 29. Porro hunc effectum succedendi in bonis utriusque filii casu quo pater duos filios impuberes instituit, substitutio hæc non inferit, nisi postquam uterque in ætate impubere obierit. L. 10. de impub. & alt. subst. & ibi Brunem. num. 4. cum Durant. de arte testand. tit. 5. cautel. 16. Struv. l. c. th. 27. Lit. u. Lauterb. cit. §. 29. si tamen uterque simul. V. g. in naufragio perit, & nesciatur, quis posterior perierit, substitutum admitti, Arg. L. 34. ff. de vulg. §. L. 9. ff. de reb. dub. affirmat Brunem. ad cit. L. 34. apud Lauterb. l. c. In questione verò an substitutus vi substitutionis vindicare etiam possit bona, quæ institutus pupillus rite, nempe cum decreto Magistratus & adhibita tutoris autoritate alienavit, negativam probabilius tenere videntur Struv. ad ff. de vulg. th. 27. Lit. β. & citatus ab eo Gail. L. 2. obs. 13. num. 13. ex ea ratione, quod pater vocat substitutum ad omnia bona, quæ relinquit filius, cui, utpote purè & plenissimo jure instituto, non prohibuit, neque etiam quò ad bona illius propria prohibere potest, alienationem.

2. Dixi Paulò supra: saltem si filius immiscuerit se hereditati patris: nam si abstinerit, quidquid sit de vulgari substitutione, adhuc vi substitutionis pupillaris expressæ, quam confirmat nuda existentia sui hæredis pupilli, bona ejusdem in pupillari ætate mortui venire ad substitutum L. 12. ff. de vulg. L. 41. §. 42. de acquir. hered. aliisque pluribus LL. probat Struv. l. c. th. 28. legesque pro contrario allatas ait intelligendas in casu, quo hæredi suo adjunctus esset extraneus; eò quod cum tunc vires testamenti à cohæredere pro parte pendeant, ad confirmationem testamenti & substitutionis pupillaris non sufficiat, filium sola potestate juris pro sua parte hæredem existisse, sed, si hic abstinerit, necesse sit ad testamenti subsistentiam, ut hæreditas patris adeatur ab extraneo hærede. Quin etiam ista abstinentia filii ab hæreditate paterna frui potest substitutus in tantum, ut non teneatur amplecti hæreditatem paternam, & consequenter nec creditoribus paternis respondere juxta L. 28. de reb. Auth. Judicis possidend. & L. 42. ff. de acquir. hered. idque etiam ob favorem filii pupilli sic constitutum, ut nimirum is habeat hæredem; dum aliàs motu onerum patris hæreditatem repudiaret; sicut nec ipse filius teneretur eam admittere. Arg. cit. l. 28. Sed neque substitutus agnoscendo accessorium (quale quid est ad hæreditatem paternam hæreditas filii) censetur hoc ipso agnovisse ipsum principale: sicut è contra qui agnovit & approbavit principale, non potest non approbare accessorium. Muller. ad Struv. cit. th. 28. remittens ad Franzk. exercit. 6. q. 7. num. 3. & seq. Bachov. ad Treutl. vol. 2. d. 11. th. 9. lit. A.

3. Secundus effectus (ut ferè ex jam dictis patet & consequitur) est, quod vi substitutionis pupilla-

ris aliquando soli patri succedat, nimirum in casu, quo illi filius institutus hæres non erit (intellige non adita hæreditate, sed repudiata) eò quod pater filio impuberi substituendo Titium in casum, quo is hæres non erit, eundem sibi quoque substituisse videatur, & ita substitutio pupillaris expressa vulgarem tacitam contineat. quandoque & filio, dum nimirum is factus hæres decesserit, puta, ante pubertatem, quin & soli filio, dum is, uti jam dictum abstinuit ab hæreditate patris.

4. Tertius effectus est, quod substitutus vi substitutionis pupillaris expressæ excludat omnes legitimos aliàs ab intestato venientes, non tantum à successione, sed etiam à legitima aliàs iis debita. L. 7. c. de impub. & alt. subst. Carpz. p. 3. c. 8. d. 1. Lauterb. l. c. §. 30. Struv. l. c. th. 29. lit. a. Muller. ibidem juxta regulam positam. l. 39. §. 70. ff. de acquir. & omitt. hered. nimirum quòd, quamdiu locus est successioni ex testamento, imò saltem ejus spes, locus successioni ex lege non sit, & hoc ipsum, quòd etiam iis, præferatur substitutus, qui aliàs legitimam in bonis filii impuberis habent, ex eo principio; quòd negato in re succedendi & impugnandi testamentum, etiam jus petendi legitimam negatur. Unde jam etiam in specie tam à successione quam legitima excluditur mater filii impuberis decedentis intra annos pubertatis absque eo, quòd illa contra filium movere possit generalem inofficiosi testamenti (quæ non nisi contra factum iniquum testamentum moveri potest) eum in hoc casu filius, utpote qui ipse testamentum non fecit sibi, argui nequeat violasse pietatem matri debitam. L. 8. §. 5. ff. de inoff. testam. sed si quæ querela moveri posset de præteritione, illa movenda contra patrem seu maritum suum. Verùm hic uxorem institueri non tenetur; & ita juxta cit. L. 8. L. 45. ff. de vulg. §. c. 1. h. t. in 6. docent cum communione saltem, Bart. in L. 2. ff. de vulg. Covar. de testam. c. 16. §. 5. num. 20. Pirh. h. t. num. 66. Wiestn. num. 188. Lauterb. l. c. §. 30. Struv. l. c. th. 29. lit. y. Muller. ibid. citatis aliis plurimis. Sed neque, ut volunt aliqui, matri succurri potest condictione ex lege ad legitimam petendam per L. 30. §. 32. c. de inoff. testam. cum conditio non detur ad legitimam consequendam, sed ad supplementum illius, de quo hic questio non est; sed potius de matre planè præterita, ad hæc lex illa citata loquatur de casu, quo ipsi liberi sibi testamentum fecerunt. Lauterb. l. c. qui tamen unà cum Carpz. testatur, jure seu in foro Saxonico matrem per dictam substitutionem filio factam non excludi à legitima petenda. uti etiam, quod jure statuario matri ex bonis paternis tantquam conjugi debita ex bonis filii propriis sit præstanda. Et hæc quidem de substitutione pupillari expressa nam in eo, num etiam excludatur mater vi substitutionis pupillaris tacitæ, sub vulgari expressa contentæ, non ita convenit inter AA. affirmant Fachin. L. 4. contro. c. 42. Treutl. vol. 2. d. 11. th. 9. lit. a. Franzk. exercit. 6. q. 7. Coler. p. 2. decis. 251. & alii apud Muller. l. c. Lit. e. idque juri civili convenientius dicit Lauterb. l. c. §. 31. ex ea ratione, quòd taciti & expressi sit vis eadem juxta L. 32. ff. de LL. eandemque tacita substitutio pupillaris cum expressa recipiat interpretationem. uti & hæc sententia ex eo probatur à contrario quòd per L. fin. c. de inst. & subst. in certo casu, nimirum dum filio scriptus est cohæres, mater præfertur substituto: ex quo casu speciali sequitur, quod ubi filio non est adjunctus cohæres, mater non præferatur substituto. Negant è contra Menoch. L. 4. præ-

sump. 38. num. 2. Zatus. tr. de subst. c. 2. tit. pupillar. subst. effect. Trentac. de subst. p. 2. c. 16. num. 5. Reiffent. num. 564. Ludvel. de ult. vol. p. 2. c. 2. & alii apud Muller. fundantque se in L. 8. c. de inst. & subst. hanc sententiam censentes acquiorem & humaniorem ex eo, ne mater simul & filii amissi & hereditatis ademptæ damno afficiatur. Distingunt cum Molin. tom. 2. de jur. & just. d. 182. num. 21. Haunold. tom. 2. de jur. & just. tr. 7. num. 85. Wiestn. h. t. num. 188. ita ut velint matrem excludi, si sufficientes adsint conjecturæ, mentem testatoris fuisse, ut sua & filii bona ad substitutum exclusa uxore devenirent, tales autem conjecturas esse, si testator hanc voluntatem excludendi uxorem ante testamentum conditum coram aliis declarasset; vel si unum ex descendentibus vel ascendentibus, vel fratrem aut piam causam substituisset ceterum, si tales conjecturæ non adessent, non excludi matrem ex ea ratione, quod ex dispositione juris matri debeatur legitima à filio liberis carente; imò tota hereditas, si intestatus decedat, eaque proinde illi adimenda non sit sine autoritate Judicis; in jure autem nullibi reperiatur, matrem substitutione pupillari solum tacita excludi. quamvis & ipsi hujus sententiæ fautores huic rationi non multum tribuant, ex eo, quod, cum à jure concessa sit patri potestas uxorem hereditate & ipsa legitima privandi, eam etiam substitutione pupillari tacita exclusam merito præsumatur ex eo; quod substituendo filio extraneum, hunc magis quam uxorem dilexisse videatur.

Quæst. 660. Quando expiret substitutio pupillaris?

1. *R* Esp. expirat sequentibus modis; primò, quoties testamentum patris fuerit planè infirmatum, ruptum, revocatum, aut rescissum. Tholos. *synag. jur. L. 42. c. 20. num. 2. Duaren. in comment. tit. de vulg. & pupill. subst. c. 16. Struv. in ff. de vulg. ib. 31. lit. a. Muller. ibid. Lauterb. ibid. §. 33. cum communi juxta §. 1. Inst. L. 2. §. 1. L. 10. §. 4. ff. de vulg. cum enim non nisi à testamento vim habeat hæc substitutio, illo deficiente & hanc deficere necesse est. Notandum hic tamen, quod habet Lauterb. l. c. nimirum, quod etsi, ubi per querelam inofficiosi testamenti rescindatur testamentum patris, rescindatur & testamentum filii per L. 8. §. 5. ff. de inoff. testam. id tamen mutatum sit per *novell. 115. c. 3. in fin.* ita ut licet patris testamentum per dictam querelam rescissum fuerit quò ad institutionem hæredis, uti & quò ad reliqua testamenti capita, substitutio tamen valeat. Secus tamen esse videtur, si testamentum per querelam inofficiosi in totum expugnatum sit.*

2. Secundo, quamprimum filius institutus annos pubertatis attigerit. Lauterb. §. 32. cum communi & certa per §. *penult. Inst. de pupill. subst.* ubi: si hoc tempus (nimirum pubertatis) excesserit, substitutio evanescit, ex ea etiam ratione, quod proles facta pubes sibi ipsi testamentum facere, & hæredem pro libitu instituere possit. Quòd si verò testator tempus brevius infra pubertatem, V. g. ad decem annos præfixerit dicendo: si intra annos decem moriatur: hoc tempore elapso expirat substitutio juxta textum clarum L. 21. ff. de vulg. Circa quod tempus notandum illud, non accipiendum naturaliter, sed civiliter de die in diem computandum, ita ut filio die ultima anni 14. decedente substitutio expiret; cum tempus quo ad factionem testamenti pari modo computetur. unde dum *cit. L. penult.* dicitur;

si hoc tempus (nempe pubertatis) excesserit, substitutio evanescit, Tò *excesserit* pro subjecta materia accipiendum & explicandum, nimirum, non pro prima die ultra 14. annos, sed pro ultima intra illos. Lauterb. *cit. §. 32.* Porro extincta ob adeptam à filio pupillariter instituto pubertatem substitutione pupillariter expressa, dum is post mortem patris pubes existens repudiat hereditatem, non exquirere adhuc substitutionem vulgarem tacitam in substitutione expressa comprehensam, ita ut vi illius adhuc substitutus capere possit bona paterna tanquam hodie dum communiis & verius pluribus rationibus defendunt Covar. *de testam. c. 16. §. 5. a. num. 9.* citatque ab eo Socin. Imol. & alii. Item Haunold. *cit. tr. 7. c. 1. de subst. pupill. contrrov. 4. num. 99.* citatus à Reiffent. *h. t. num. 681.* cum sequente Arg. *L. jam hoc jure. ff. de vulg.* & ratione defumpta ex præsumpta voluntate testatoris substituentis; dum ex eo, quod voluerit filium quidem hæredem esse, sed ubi impubes decederet, tam sua quam illius bona ad substitutum devenire, meritò præsumitur voluisse filio pubere factò, vel etiam adhuc impubere hereditatem repudiante, bona saltem sua ad dictum substitutum devenire. Arg. *L. 59. §. 1. ff. ad S. C. Trebell.* Quin & bona filii devenire vi substitutionis pupillaris, si filius impubes postquam repudiavit hereditatem decedat inter annos pubertatis; cum ea substitutio non expiret per talem repudiationem ab impubere factam, asserit Reiffent. *n. 682.*

3. Tertiò: si filius institutus ante patrem decederit, deficit substitutio pupillaris expressa; eo quod deficiat conditio, quæ in eum casum si hæres erit (qualis non est vivo patre) etsi ante pubertatem decederit. quamvis hoc casu adhuc hereditatem patris consequi possit substitutus vitacitæ vulgaris in pupillari expressa contentæ. Lauterb. *l. c. §. 34. Arg. L. 4. ff. de vulg.*

4. Quarto: si conditio dicta eveniente, institutus hereditatem paternam non adierit, evanescit totaliter substitutio pupillaris secundum dicta paulò ante.

5. Quintò: si substitutus tempore mortis testatoris non erat capax hereditatis. Lauterb. *cit. §. 34.* cum Trentac. *p. 2. c. 19. num. 2.* vel ante pupillum hæredem decederat, nec is tunc quicquam juris ad suum hæredem transmittit, utpote qui jus nullum acquisitum, sed solum acquirendum per mortem impuberis habet. Lauterb. *l. c.* Vel si pupillus institutus superstes tempore mortis patris non erat amplius in ejus potestate, evanescit substitutio pupillaris. Lauterb. *l. c.* plurimos alios modos, quibus ea evanescit, sive substitutus excluditur, utiliter leges apud Muller. *in stru. in ff. de vulg. ib. 31. lit. y. & sequentib.*

Quæst. 661. Quid & quotuplex sit substitutio exemplaris.

1. *R* Esp. Ad primum: substitutio exemplaris seu quasi pupillaris, sic dicta, non quòd ipsa sit exemplum faciendi aliquam substitutionem, sed quòd ipsa ad exemplum pupillaris inducta, dum in ea substituitur quis illis, qui quòd ad testamenti factionem comparatur pupillis, ut Duaren. *in ff. de vulg. c. 17.* dicta quoque Justinianeæ; quia Justinianum Imperatorem authorem habet in *L. 9. c. impub. & al. Inst. & §. 1. Inst. de pupill. subst.* dum is primus generaliter constitutione permisit, quòd aliàs speciali impetratione à Principe opus habebat. hæc inquam substitutio sit clarius definitur à Bardil. in *disp. de subst. Justinian. ib. 3.* Quòd sit substitutio, quâ

quā parentes liberis mente captis, aut simili impedimento, ob quod ipsi testari nequeunt, laborantibus in casum, si illi hæredes erunt, & in tali statu decesserint, certas personas furogant. Sumitur tum ex *cit. §. Inst. tum ex cit. l. 9.* Cujus definitionis explicationem dabunt resp. ad *q. seq.*

2. Resp. Ad secundum: Dividitur hæc substitutio in eam, quæ fit verbis expressis simpliciter in dictum casum. & tacitam, quæ ex mente testatoris colligitur; dum nimirum vel continetur sub expressa vulgari, testatore liberis mente captis substituente, vel sub expressa pupillari. v. g. si filius, cui vulgari-ter substitutus, post pubertatem in furore continuaverit. Lauterb. *l. c. §. 36.*

Quæst. 662. A quo, cui, quibus substituitis, & qualiter fieri possit hæc substitutio.

1. Resp. Ad primum: exemplariter substituere possunt omnes singuli & soli parentes, unde à facienda substitutione hac parentibus dementibus excluduntur per *cit. l. 9. c. de vulg. filii & omnes*, qui parentum nomine non comprehenduntur. latius tamen hic accepto hoc nomine, quam in substitutione pupillari, veniunt tam mater quam pater omnesque ascendentes, tam per lineam maternam, quam paternam, sine distinctione gradus & sexus. *cit. l. 9. c. de impub. & al. subst.* loquente omnino generaliter. Covar. de *testam. c. 16 §. 6. n. 1. Molin. d. 185, num. 6. Ludvvel. de ult. volunt. p. 2. c. 2.* cum communi. ex ea etiam ratione, quod jus hoc substituendi non fundetur in patria potestate, nec in alia juris civilis ratione, sed in sola humanitate, pietate, affectione & cura erga liberos, quæ in omnibus ascendentes eadem esse censetur juxta *L. 4. c. de liber. præerit.* & sic in specie substituere posse, exemplariter avum & aviam mortuo patre & matre furiosi, indubitati juris est. Barry. de *success. l. 5, tit. 4. num. 6.* Stryck. de *jur. avor. c. 4. n. 67.* quin etiam id posse avum & aviam, patre & matre adhuc superstibus tanquam benignius asserit cum Bardil. *l. c. th. 7.* Muller. *l. c. th. 35. lit. y.* etsi juri magis consentaneum, ut in hoc casu potius rata sit substitutio facta à patre, dicant Valsq. de *success. progres. l. 2. §. 17. num. 39.* Bachov. ad *§. 1. Inst. de pupill. instit.* & alii apud Muller. *l. c. lit. a.* Item potest substituere mater, etsi ad secunda vota transferit. Lauterb. in *ff. de vulg. §. 38.* Muller. *l. c.* remittens ad Barry. *l. c. num. 3.* Gomez. *L. 1. var. resol. c. 9.* Brunem. ad *cit. l. 9.* Fular. de *subst. q. 183. num. 9.* Carpz. *p. 3. cap. 8. d. 13.* & alios, dissentientibus Harpr. ad *§. 1. Inst. de vulg. num. 15.* Ludvvel. *l. c. pag. 307.* eò quòd mater transiens ad secunda vota liberos prioris matrimonii minus impense amare videatur. Naturales quoque parentes non minus quam legitimi instituere possunt, modò liberos naturales instituerint. *L. generaliter c. de Inst. & subst.* cum humanitatis affectus non minus in naturalibus parentibus quam in legitimis locum habeat, & patria potestas ad substituendum exemplariter non requiratur. Muller. *l. c.* De liberis tamen naturalibus vide dicenda *q. seq.* Unde nec mater naturalis illustris excipitur, non obstante, quòd matri illustri filius spurcius ab intestato non succedat; siquidem à successione ab intestato ad testamentariam non valet argumentum. Muller. *l. c.* cum Bardil. de *subst. Instit. th. 8.* Porro licet substitutio hæc solùm locum habeat in bonis à substituente provenientius. v. g. in bonis maternis, dum mater substituit, in paternis, dum pater substituit. Stru. *l. c. th. 31. lit. y.* Lauterb.

§. 39. de Lugo. Tom. 2. de §. & §. d. 24. num. 162. ubi tamen is, cui fit substitutio est in patria potestate substituente, substitutio etiam ad bona illius omnia aliunde etiam quam à patre substituente quæ sita filio instituto se extendit, ut supponere videntur iidem cum communi. Er sic substitutus quò ad bona illa filii sub potestate patria constituti, utpote in quæ substituens ratione patriæ potestatis jus habet, præferendus omnibus aliis, dum fortè à pluribus ascendentes diversi substituti. Si verò filius non est in patria potestate constitutus, diversi illi substituti de bonis illius aliunde quam à substituente quæ sitis æqualiter participant. ita de Lugo, Stru. Lauterb. *l. c.* Contrarium tamen, nimirum, quod dum pater & mater substituere volunt, quò ad bona illa filii aliunde quæ sita simpliciter, non habita ratione patriæ potestatis præferendus sit substitutus à patre substituto à matre; eò quòd in persona patris naturalia & civilia jura concurrant, quòdque consultum filio paterno consilio præsumant leges, tradunt Arg. *L. 3. §. 1. ff. de administ. tutor.* Valsq. de *success. §. 17. a. num. 39.* Manz. in *§. 1. Inst. de pupill. subst. num. 7.* quos citat & sequitur, Wiestn. *h. s. num. 192.* De cætero his non obitante, quòd hoc modo, dum à diversis diversi substituuntur, filius videatur decedere cum duobus testamentis contra communem regulam, siquidem hanc regulam non extendendam extra casum, dum quis sibi ipsi facit testamentum) quod in præsentī calu substituens facit filio, & non ipse filius sibi) respondet cum Stryck. Lauterb. *l. c.*

2. Resp. Ad secundum: potest hæc substitutio fieri liberis institutis in hæredes cujuscunque gradus & sexus, sive sint sui, sive emancipati, sive puberes, sive impuberes, dum mente capti. quò spectant juxta *L. 14. ff. de offic. Præsid.* Muti & simul surdi naturales; secus si ex accidente, vel non simul muti & surdi. Trentac. de *subst. p. 3. c. 4. n. 5.* & alii apud Muller. ad *ff. de vulg. th. 36. lit. d.* Neque, ut iis substitui possit, necessarium est (uti olim erat) impetrare ad hoc permillum Principis, ut Arg. *L. 43. ff. de vulg.* tanquam probabilius & in foro receptius tenent Castren. ad *cit. l. 9.* Bachov. ad *Trentac. vol. 2. d. 11. th. 10. lit. a.* Stru. *cit. th. 36. lit. e.* Muller. *ibidem.* Item melancholici perpetuò & indefinenter sine intermissione, quos manicos seu maniacos vocant. Muller. *l. c. lit. b.* non tamen ut Idem huc pertinent fatui, qui quadam simplicitate animi laborant, & minus sagaces sunt, imprudenterque & inconsiderate agunt interdum & loquuntur, spectant tamen huc prodigi juridicè tales. Castren. *l. c.* dicens communem. Bachov. Vinn. ad *§. 3. Inst. de pupill. subst.* Gomez. *L. 1. var. resol. c. 6. num. 3.* Muller. *l. c. lit. y.* Lauterb. *l. c. §. 42.* contra Giphani. in *cit. l. 9.* Perez. in *eod. de vulg. subst. n. 36. in fin.* Sentientes contrarium ex eo, quòd hoc vitium sit voluntarium; aliosque de eo dubitantes, ut Zoës. in *eod. cod. num. 69.* Substitui quoque potest exhæredatis in bonis aliunde iis obveneritibus, dum nimirum exhæredationem meriti furiosi postea facti exhæredantur. Stru. *l. c. lit. d.* Muller. *ibid.* Lauterb. *l. c.* ne, si parentibus non liceret exhæredatis substituere seu de hærede providere, augetur eorum miseria & afflictio, ut Muller. In summa substitui potest omnibus exemplariter, quotquot propter vitium animi vel corporis testamentum facere nequeunt. Lauterb. *§. 42.* Stru. *cit. th. 36. lit. n.* Muller. *ibidem.* cum communi siquidem ut dictum, fundamentum hujus substitutionis est humanitas, ut qui sibi testamentum facere non possunt, paren-

parentes iis faciant. dum verò quidam ex iis ante vitium animi vel corporis fecerunt sibi testamentum, illud per post superveniens vitium non infirmatur. *L. 18. L. 20. §. 4. ff. qui testam. fac. possunt.* Lauterb. *l. c.* adeoque in iis saltem quò ad bona illorum propria substitutio hæc locum non habet. E contra liberis illegitimis pater substituere nequit. *L. 10. §. 6. ff. de vulg.* Hahn *in ff. eod. num. 8.* Bardil. *de subst. d. ., th. 14.* Lauterb. §. 39. atque ita pater naturalibus ex concubina natis substituere nequit; cum Imperator *cit. L. 9. c. de vulg.* utatur nomine filii, quod naturali non competit juxta *L. 6. ff. qui sui & alien. juris.* & his tantum substitui possit à patre, quibus legitimam debet. *cit. L. 9.* quam non debet naturalibus juxta *L. 27. §. 28. c. de inoff. testam.* Secus tamen est in matre, qui naturalibus substituere potest. *L. 29. §. 1. ff. de inoff. testam.* injustis tamen & ex damnato concubitu natis liberis neque pater, neque mater substituere potest per *novel. 74. c. fin. & novell. 89. c. fin.* Lauterb. *l. c. §. 40. in fine.*

3. Resp. ad tertium: nequeunt parentes exemplariter substituere quasvis indifferenter personas, sicut possunt in substitutione pupillari, sed certum ordinem in iis substituendis servare debent; cum substitutio pupillaris fundet se in patria potestate, exemplaris in humanitate Lauterb. *l. c. §. 44.* ordo verò servandus hic est ut, si illi, quibus substituitur liberos habeant, hi primò substituendi sunt, cuiuscunque sint gradus, sive nati, sive nascituri Muller. *ad ff. de vulg. th. 34. Lit. a.* sed, qui nati sunt, sint sanæ mentis. Lauterb. *l. c.* non tamen filii adoptivi illius, qui postea incedit in furorem, necessariò sunt substituendi. tum quò respectu patris sint extranei; tum quò illis relinquere legitimam necessariò non sit. Muller. *l. c. Lit. b.* idem dicens de arrogatis. Licet autem sufficiat unum vel aliquot vel omnes substitui juxta *cit. L. 9.* quia tamen substitui unum alterumve nimis durum videtur; cum calamitas patris & furor non debeat privare ceteros portione ipsi naturâ debita, Bachov. *ad Trentl. vol. 2. d. 11. th. 10. Lit. e.* aliosque dd. communiter sentire, omnes esse substituendos, ait Lauterb. *l. c.* verum non apparere, qualiter sententia hæc arduissima cum *cit. L. 9.* conciliari queat, dicit apud eundem Stryck, si autem illi descendentes non habeant, substituendi necessariò sunt eorum fratres, intellige propriè tales j quales quia non sunt patruales dum quandoque fratres vocantur, necessariò substituendi non sunt. Muller. *l. c. Lit. y.* cum aliis fratribus tamen annumerantur sorores. *L. 35. ff. de pactis & quamdiu hæc supersunt, non liceat substituere alium; ita etiam, ut licet statuto patruus furiosus admittatur ab intestatò unâ cum furiosi sorore; nihilominus sola soror sit substituenda; & si cum ea substitutus esset patruus, hujus portio accresceret sorori. Bardil. *de subst. Justinian. th. 20.* Muller. *cit. Lit. y.* substitui autem possunt ex fratribus, ut dictum de filiis, unus vel certi vel omnes juxta *cit. L. 9.* ita quidem, ut pater substituere teneatur fratres germanos & consanguineos; mater germanos & uterinos & non consanguineos. Negat tamen apud Lauterb. Stryck, in hoc casu patrem posse excludere matrem filiorum mente captorum; & vice versa substituendo fratres, idem tenent Bald. *in cit. L. 9. c. de vulg. num. 35. in fin.* Gomer. *L. 1. var. resol. c. 6. num. 7.* & alii apud Muller. *ad Struv. in ff. de vulg. th. 34. Lit. e.* contrarium tenentibus Trentac. *de subst. p. 3. c. 5. num. 12.* Ludvvel. *de ult. vol. p. 314.* Struv. ad Muller. *LL. cit.* eò*

quò Imperator in *cit. L. 9.* nullam planè mentionem parentum, sed solum filiorum & fratrum substituendorum fecerit. Ad hæc in substitutione pupillari excludatur mater à successione juxta *L. 8. §. 5. c. de inoff. testam.* adeoque nil obstat, quò minus idem dicatur in substitutione quasi pupillari, Denique deficientibus etiam fratribus, ad nulles alias certas personas substituendas tenentur parentes, sed pro libitu substitui possunt quicumque substitutionis capaces extranei, ita ut etiam illis viticus à matre rectè substituatur. Lauterb. *cit. §. 44.* Muller. *l. c. Lit. y.*

4. Resp. ad quartum: in cæteris modis substituendi exemplariter idem est, qui substituendi pupillariter, ita ut licet non requiratur certa verborum formula, debeat tamen per modum institutionis fieri verbis civilibus directis, in quo differt à substitutione commissoriorum non tamen necesse est exprimi causam substituendi faciendo mentionem expressam furoris vel amentia; cum eo ipso, quò furioso vel amenti alius substituatur, præsumatur substitutio exemplaris, ubi tales substituuntur, quales juxta. *L. 9. c. de impub. & al. sub.* substitui debent. ita Covar. *de testam. c. 16. §. 6. num. 9.* Menoch. *L. 4. præsump. 49. num. 2.* Zasius *ad L. ex factò. ff. de vulg. num. 35.* His tamen non obstantibus, quin fieri possit expressa mentio de amentia. V. g. filio meo furioso substituo cajum. vel etiam expressa conditione. V. g. filium furiosum heredem instituo, & si hæres erit, & in furore decesserit, illi substituo cajum. quæ tamen verba addi necesse non est; cum tacite subesse credantur, plures istiusmodi formulas vide apud Muller. *l. c.* Item requiritur, ut parens prius faciat sibi testamentum instituendo filium furiosum, & dein filio, quem scit non recasurum in potestatem alterius. Item ad formam illius spectat, quò debeat hæreditas testatoris adiri. & quidem si sit hæreditas matris vel alterius extranei per furiosi curatorem juxta *L. 7. §. 3. c. de furiosi curatore.* Si verò sit hæreditas patris, ipso jure adita intelligatur. *cit. L. 7. §. 2.* cum suis ipso jure sit hæres, & non tam acquirat hæreditatem, quam retineat legis potestate sibi debitam. §. 2. *Inst. de hered. qualitat. & different.* Muller. *l. c. Lit. a.*

Quæst. 663. Quis sit effectus substitutionis exemplaris?

Resp. effectus ferè eosdem habet, quos substitutio pupillaris; nimirum ut conditione existente nempe si liberi furiosi hæredes existerint, & in eo morbo decesserint, substitui non tantum testari, sed etiam prædictis personis succedere possint jure hæreditario in omnibus bonis ab iis acquisitis undecunque. Covar. *l. c. num. 10.* Bart. *in L. ex factò. c. de vulg. num. 30.* Ludvvel. *p. 2. c. 2. de ult. volunt.* Lauterb. §. 45. Reiffenst. *h. t. num. 588.* cum communi. Arg. *L. 9. c. de impub. & al. subst. §. 1. inst. de pupil. subst.* Item ut sicut pupillaris, & exemplaris contineat tacitam vulgarem, ac proinde in casu, quo filius hæreditatem non adit, substitutus nihilominus capiat bona. Zasius *tr. de success. c. 3.* Ludvvel. *l. c.* Schneidev. *L. 2. tit. 16. §. de exempl. subst.* quos citat & sequitur Reiffenst. *l. c.* An verò effectus quoque substitutionis exemplaris sit, ut vi illius excludatur mater à successione in bonis filii furiosi etiam quò ad legitimam sicut excluditur per pillarem à successione in bonis filii impuberis, controvertunt AA. de quo vide

vid. dicta. *g. preced. resp. 3.* citatosque pro utraque sententia AA.

Quest. 664. Qualiter expirat substitutio exemplaris.

Resp. primò in genere : in quibus casibus expirat seu cessat vera pupillaris substitutio, in iisdem etiam expirare substitutionem quasi pupillarem, cum communi dd. tradunt. Zalius. *tr. de subst. c. 3. vers. septima partic.* Barry. *l. 5. tit. 9. Stru. in ff. de vulg. th. 37. Lit. y.* Muller. *ibid.* Resp. Secundò in specie: expirat agnatione sui hæredis, siue dum filio amentis post substitutionem nascitur proles legitima. *l. 43. ff. de vulg.* Muller. *l. c.* Lauterb. *l. c. §. 46.* fecus, si nascatur ei proles illegitima. *§. 2. Inst. de hæred. qual. & differ. junct. l. 9. c. de natural. liber.* Muller. *l. c.* nisi substitutio facta sit à matre filii amentis. Arg. *l. 19. ff. de stat. hom. Add. in compend. subst. tr. in præud. p. 4. q. 1.* Muller. *l. c.* Tertiò infirmitate testamenti principalis. *§. 5. Inst. de vulg.* Muller. Lauterb. *LL. cit.* Quartò, si cedente substitutionis die, substitutus factus est incapax, vel tiam ante institutum hæredem insipientem mortuus fuerit. *l. 59. §. 6. ff. de hæred. institut. l. 91. ff. de acquir. hæred.* Quintò, si furiosus tempore lucidi in ter valli faciat, uti potest, testamentum; eum eo ipso, quòd tale testamentum valeat, necesse sit substitutionem ei contrariam evanescere. Mantic. *de coniect. ult. vol. l. 1. tit. 16. n. 26. Zal. eod. l. ex facto. ff. de vulg.* Ludvvel. *l. c.* Arg. *cit. L. ex facto.* Sextò ac præcipuè, si institutus ab amentia aliàve infirmitate reddente incapacem testandi liberatus fuerit. *§. 1. Inst. de pupill. subst.* reconvalescentiã tamen non solum ad breve tempus, sed stabiliter, vel saltem ad notabile tempus post mortem substituents duratura; cum tali casu cesset causa finalis hujus substitutionis redeunte potestate condendi testamentum. Perez. *in eod. de impub. subst. n. 39.* Haunold. *de 7. & 7. tr. 7. n. 121.* Mantic. *l. c. n. 24.* Menoch. *l. 4. præsum. 10.* Secus si statim aut ad breve tempus relabatur in pristinam infirmitatem; tunc enim non tam censetur extincta substitutio, quàm cessare solum ad tempus, ac veluti suspendi. Gomes. *Tom. 1. var. c. 6. num. 7.* Covar. *de testam. c. 16. §. 6. num. 11.* Menoch. *l. c. præsump. 50. num. 6.* Jalon. *in L. ex facto ff. de vulg. num. 43.* Zal. *l. c.* quamvis, siue ad breve, siue ad longum tempus duret reconvalescentia, non omnino esse extinctam substitutionem asserant alii. quam sententiam veriorẽ & receptiorem apud Muller. *l. c. Lit. ß.* dicunt Vasq. *de success. progr. Tom. 2. §. 17. num. 48.* Sichard. *ad l. 9. c. de vulg.* Barry. *l. 5. tit. 9. num. 3.* distinguit etiam hoc ipsum de redeunte infirmitate. Bardil. *d. de subst. Justinian. & Lauterb. cit. §. 46.* ita ut si redeat viventibus parentibus testatoribus, non censetur extincta substitutio; eo quod illa à morte testatoris vires accipit. quod indubitatim dicunt Bardil. *l. c.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. d. 11. th. 10. Lit. F.* Secus; si redeat post mortem parentum.

Quest. 665. Quid & quotuplex sit substitutio militaris?

Resp. ad primum: substitutio hæc (quæ & privilegiata dicitur, quia militi ex speciali favore utpote causa impulsiva concessa. *l. 15. ff. de vulg. junct. l. 1. ff. de testam. milit.* Lauterb. *§. 47.* & hinc tanquam exorbitans extendenda non est ad milites togatos, puta Doctores, Advocatos, nisi fortè in hofico existentes. Tabor. *de subst. c. 5. th. 7.*) explicatius describi potest, quòd sit substitutio, quã milites etiam de bonis non castrensibus & extra castra

R. P. Lear. Jur. Can. Lib. III.

testamentum condens, cuius à se instituto potest verbis directis substituere alium in casum, quo institutus decesserit, siue adjecto tempore, siue indefinitè. Struv. *in ff. de vulg. th. 38.* Dicitur primò: *quã miles;* intellige verè & realiter talis, id est probatus ab eo, qui jus probandi habet nempe magistro militum. *l. 1. c. qui milit. poss. l. 17. c. de remiss. juratus,* hoc est, sacramento militari obstrictus. *l. 13. §. 2. ff. eod. l. 11. de testam. milit.* Cinctus. *l. 25. 38. 42. ff. eod.* relatus in numeros, id est, certas exercitus partes certo militum numero constantes, puta legiones, centurias, cohortes &c. *l. 2. c. hæred. decur. L. ult. de testam. milit. l. 35. §. 1. l. 42. ff. eod.* etiam stipendiarius: *l. 2. c. de his qui non impl. stip.* quæ omnia militibus nostri temporis conveniunt, ut Muller. *ad Struv. l. c. Lit. ß.* cum Duaren. *ad tit. de testam. milit.* Dicitur secundò: *etiam de bonis non castrensibus;* non tamen non nisi de bonis, quæ instituti ex testamento substituentis sunt consecuti. *l. 5. ff. l. 6. c. de testam. milit.* Lauterb. *l. c. §. 49.* Dicitur tertio: *extra castra,* neque enim necesse est, ut existens in castris condat testamentum. de quo vide dicta supra de *testam. milit.* sed neque præcisè requiritur, ut substituens sibi prius condat testamentum sibi que scribat hæredem, pro ut requiritur in substitutione pupillari, sed potest soli filio vel altari facere testamentum. *l. 15. §. penult. de testam. milit.* Muller. *l. c. Lit. y.* Lauterb. *l. c. §. 48.* quamvis hic addat, in casu hoc potius dicendam institutionem quàm substitutionem. Dicitur quartò: *curvis hæredi à se instituti;* siue is sit filius, isque pubes, etiam emancipatus, ex hæredatus. *l. 41. §. 4. §. ff. de testam. milit.* etiam scienter præteritus. *§. 6. Inst. de exhib. lib.* siue sit extraneus. Lauterb. *§. 49.* Dicitur quintò: *directò* siue verbis directis ad substitutum, quibus hic immediatè ab ipso testatore sine ministerio mediæ personæ, puta, instituti substituitur; per quod distinguitur à substitutione commissoriana. Dicitur sextò: *in casum;* non specificando casum ullum, sed in genere, dicendo: in casum quo seu quoquo modo institutus decesserit. Dicitur denique: *siue adjecto tempore, siue indefinitè.* et si enim hæc substitutio ad certum tempus restringi à milite posset. V. g. dicendo Titius hæres esto, si Titius hæres erit, & decem anni effluxerint, Cajus hæres esto. *l. 15. §. 4. l. 19. §. ult. de testam. milit.* id tamen necesse non est; cum miles, uti ad certum casum. v. g. mortis, & conditionem, ita etiam ad certum tempus adstrictus non sit. Muller. *ad Struv. in ff. de vulg. th. 39.* De cætero formam certam verborum non requirit, potestque ea esse hæc aut similis: hæredem instituo Titium, eique, ubi decesserit, substituo Cajum.

2. Resp. ad secundum: dividitur in expressam & compendiosam. Arg. *l. 8. c. de impub. & aliis subst. à Treutl. vol. 2. d. 11. Lit. h. & Lauterb. §. 47.* quamvis secundum alios compendiosa non sit membrum præcisè dividens substitutionem militarem, sed sit specialis quædam species substitutionis, dum, ut Lauterb. *in ff. de vulg. §. 5.* præter militarem ex interpretatione & usu fori compendiosam extendunt ad paganos (quales dicuntur omnes, qui vel prorsus non, vel non verè sunt milites) ab iis verborum compendio factam; quin &, ut Muller. *l. c. th. 39.* ab omnibus aliis paganicæ substitutionis speciebus discernitur. Expressa est, quæ fit verbis expressis & claris. Compendiosa, quæ verborum generalitate quasi compendio omnes reliquas substitutiones, vulgarem, pupillarem, quasi pupillarem comprehendit. Brunem. *ad cit. l. 8. n. 8.* Lauterb. *l. c.* dum nimirum fit per verbum *quandoque*, dicendo. V. g. hæredem

Ppp

redem

eodem instituo Titium, & ei, quodcumque decefferit, substituo Cajum, quæ institutio, si Titius filius ante testatorem mortuus sit, vel eo mortuo hæreditatem non adierit vel repudiaverit, & ita hæres non sit, vulgarem; si adita hæreditate, ante annos pubertatis decefferit, pupillarem, ita ut vi illius non tantum paterna seu substituentis bona, sed & ipsius impuberis capiat substitutus: si post pubertatem jurius aut amens decefferit, exemplarem, & aliquando, si sana mente decefferit, fideicommissariam substitutionem complectatur. atque ita substitutus pro temporum, ætatum, sanitate varietate vi hujus substitutionis compendiosæ variè admittatur. Gl. in c. Raynuius. h. t. v. absque liber. Bart. in L. centurio. ff. de vulg. Menoch. l. 4. præsump. § 1. Covar. de testam. c. 16. §. 9. Gomes. Tom. 1. c. 7. num. 2. Haunol. l. c. num. 171. Reiffent. num. 597. Wiestn. h. t. num. 198.

Quest. 666. Quis effectus hujus substitutionis militaris compendiosæ & qualiter ea expirat?

Resp. primum compendiosæ substitutionis hujus, sive fiat à milite sive à pagano, effectus itaque est, quod comprehendat omnes substitutiones reliquas, & quia eas comprehendit, vi illius tam vulgariter quam pupillariter & quasi pupillariter possit succedere substitutus. Lauterb. l. c. §. 50. cum hac tamen distinctione, ut si filio ante pubertatem substitutio facta, eodem intra eandem decedente, omnia patris & pupilli bona ad substitutum pertineant, nisi fortè aliter dispositum à patre testatore, filio autem post pubertatem decedente substitutus succedat tantum in bonis patris cum fructibus inventis in hæreditate. l. 15. ff. de vulg. Brunem. ibid. num. 2. Lauterb. l. c. in reliquis verò legitimi, quatenus verò quandoque complectitur substitutionem fideicommissariam, substitutus in hoc casu jure fideicommissi succedat. Arg. l. 8. c. de vulg. dum ibi in fine dicitur, quod filii hæreditas transeat ad matrem, & substitutus eam à matre tanquam fideicommissum petere debeat. Lauterb. l. c. cum Bachov. ad Treml. vol. 2. d. 1. sh. 6. Lit. B. Carpz. Bardil. & aliis. Quò ad effectum tamen hunc bene ponderandam potestatem testatoris; an verba vulgarem vel pupillarem substitutionem admittant, monent. Brunem. ad l. 2. c. de impub. & aliis subst. Odd. de compend. subst. Stryck. & apud Lauterb. §. § 1.

2. Resp. ad secundum: expirat substitutio militaris eo modo, quo testamentum militare. Lauterb. §. 50.

Quest. 667. Quid sit substitutio reciproca, quis ejus effectus?

Resp. ad primum: substitutio reciproca (quæ etiam, quia fit brevibus verbis, Brevisloqua dicitur à Gl. in L. Lucius. ff. de vulg. v. non ad matrem; sed fortè minùs convenienter; cum vel sic confundi videatur cum compendiosæ, cui magis hoc nomen breviloquæ competit, dum non minùs bre-

vi verborum forma fit) dicitur illa, quæ plures co-hæredes instituti sibi invicem substituuntur. §. 1. Inst. l. 36. & 45. ff. de vulg. Muller. ibid. th. 40. cum communi. idque vel expressis prolixisque verbis. V. g. Titius ex semissè hæres esto: Cajus ex semissè hæres esto: si Titius hæres non erit, Cajus ex ejus parte hæres esto si Cajus hæres non erit, Titius ex ejus parte hæres esto. Duaren. ad ff. de vulg. c. 8. & 24. vel brevi verborum compendio V. g. Petrus, Paulus, Joannes hæredes sunt, & hos invicem substituo sibi hæredes. De cætero certa verborum formula non requiritur, modò adhibeatur talis, ut reciproca institutio sufficienter percipiatur.

2. Resp. ad secundum: vis & effectus hujus substitutionis consistit in eo, quod sub diversitate substitutorum & modi substituendi aliarum substitutionum rationes & effectus participant. Covar. de testam. c. 7. §. 3. Reiffent. h. t. num. 595. cum communi. non enim est substitutionis species propria à reliquis principalibus, nimirum vulgari, pupillari, exemplari, fideicommissoria æque primò & immediatè, quò ad effectum, sed tantum verborum conceptione, quæ specificam distinctionem non faciunt, condistincta. Muller. cit. th. 40. Wiestn. h. t. num. 193. Reiffent. l. c. sicnamque, dum duo cohæredes sibi mutuo substituuntur in vulgarem casum seu sub conditione vulgari: si hæres non erit, continet duas vulgares earumque effectus. si duo filii impuberes sub potestate patris testatoris constituti; duas pupillares, si duo filii furiosi aut mente capti sibi substituti, duas exemplares; et si hi duo filii ut impuberes sibi substituti; duas exemplares & simul pupillares complectitur. Covar. Wiestn. Reiffent. LL. cit. Menoch. l. 4. præsump. 60. Hunn. p. 4. tit. 20. c. 1. Monet quoque Covar. apud Wiestn. quod, si reciproca substitutio fieret duobus inæqualis conditionis, quorum utriusque æqualiter non conveniret, eam non alias substitutiones comprehensuram, quam quæ conveniunt utriusque. Unde si substitutio facta duobus filiis, quorum unus impubes, alter pubes, duas solum vulgares, & non etiam pupillarem contineret, ne, si utramque vulgarem ei pupillarem contineret, alter sibi mutuo substitutorum, ex duplici, alter ex una solum. V. g. pubes impuberi ante aditam hæreditatem ex vulgari, post aditam hæreditatem ex pupillari; impubes autem puberi & sola vulgari substitutione succedere posset, quod iniquum & alienum à mente testatoris esse videtur. ita Wiestn. l. c. cum Haunol. Tom. 2. tit. 7. num. 164.

3. Resp. ad tertium: expirat substitutio reciproca eo modo, quo qualibet species substitutionis in ea contentæ; extinguitur ex ipso enim, quòd hæc substitutio à parte rei non distinguatur ab aliis, quas continet, eodem modo cum iis expirare debet. Reiffent. num. 596. cum Covar. l. c. num. 5. citante Bart. in L. Lucius. ff. de vulg. Jaso. & Zafium. Porro quæ hic dicenda essent de substitutione indirecta seu commissoria præterea, quæ dicta sunt supra, ubi de divisione substitutionis, dicentur commodius capite sequente.